

Iglesia Católica. Papa (1644-1655: Inocencio X)

Innocentius episcopus sermon servorum Rei ad futuram rei memoriam... pro parte... rectoris & vniversitatis studij generalis oppidi de Alcala de Henares... petitio continebent quod olim... leo... decimus etiam praedecessor noster inter alia praevilegia & indulta per eum concessa... voluit ut dognitates ac canonicatus & praevendae... ecclesiae sanctorum Iusti & Pastoris dicti oppidi...

[S.l. : s.n., 1645].

Vol. encuadernado con 34 obras

Signatura: FEV-AV-M-00452 (09)

La obra reproducida forma parte de la colección de la Biblioteca del Banco de España y ha sido escaneada dentro de su proyecto de digitalización

<http://www.bde.es/bde/es/secciones/servicios/Profesionales/Biblioteca/Biblioteca.html>

Aviso legal

Se permite la utilización total o parcial de esta copia digital para fines sin ánimo de lucro siempre y cuando se cite la fuente



Innocentius Episcopus servus servorum
 Dei ad futuram rei memoriam: pro-
 visionis nostræ debet provenire sub-
 sidio, vt ius suum cui libet conseruetur:
 hinc est quod nos tenorem quarun-
 dam literarum Apostolicarum foelicis
 recordationis Urbani Papæ Octavi
 prædecessoris nostri in registro ipsius
 repertum pro eo, quod sicut exhibita nobis nuper pro par-
 te dilectorum filiorum Rectoris, & Vniuersitatis studij ge-
 neralis oppidi de Alcalà de Henares, Toletanæ Diocœsis
 ipsi huiusmodi tenore indigent ex Registro ipso de ver-
 bo ad verbum transsumi, & ad ipsorum Rectoris, & Vni-
 uersitatis instantiam præsentibus inseri fecimus, qui talis est.
 Urbanus Episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei
 memoriam: ad Apostolicæ dignitatis apicem meritis, licet im-
 paribus divina dispositione vocatis gratos Domino, & repu-
 blicæ Christianæ vtilis fructus, qui ex literarum studijs prove-
 nire noscuntur intra cordis nostri arcana revolventes, ad ea,
 per quæ Vniuersitatum studiorum eorundem foelici, & prof-
 pero statui, & directioni consulitur, libenter intendimus, &
 ne ea, quæ sedis Apostolicæ liberalitate, ac munificentia pro
 Vniuersitatum earundem beneficio, & vtilitate concessa fuis-
 se dicuntur, in proximi præiudicium, & curæ animarū Christi
 fidelium, & divini cultus detrimentum vergant, opportune
 prospicimus; aliasque desuper pastoralis officij nostri partes
 interponimus, prout rerum, & personarum, ac temporū qua-
 litatibus, ac circumstantijs debite pensatis conspiciamus sa-
 lubriter expedire, sane nobis exhibita nuper pro parte dilec-
 torum Rectoris, & Vniuersitatis studij generalis oppidi de
 Alcalà de Henares Toletanæ Diocœsis petitio continebat,
 quod olim foelicis recordationis Leo Papa Decimus, etiam
 prædecessor noster inter alia prævilegia, & indulta per eum
 concessa Rectori, & Vniuersitati huiusmodi voluit, vt digni-
 tates, ac Canonicatus, & Prævendæ sæcularis, & Collegia-
 ræ Ecclesiæ Sanctorum Iusti, & Pastoris dicti oppidi pro tem-
 pore vacantes Magistris in Theologia, & in eorum defectum
 Magis-

Magistris in artibus, pōrtiones autem eiusdem Ecclesiæ Ma-
gistris in artibus omnibus, antiquioribus ex Regnis, Castellæ,
& legionis oriundis, & in dicta Vniversitate secundum illius
statuta graduatis, qui in ea per maiorem anni partem diem ip-
sius vacationis immediatè præcedentem resedisse dumtaxat
conferrentur, quodque omnes, & singulæ lites, & controver-
siæ quæ super eis, vel eorum aliquo orientur coram alio,
quam Rectore pro tempore existente, vel aliquo ex Conser-
vatoribus dictæ Vniversitatis, etiam in Romana curia agita-
ri, & discuti non possent, prout in literis Apostolicis dicti præ-
decessoris sub datum Romæ apud sanctum Petrum anno Do-
mini millesimo quingentesimo decimo nono sexto Idus Mar-
tij Pontificatus sui anno septimo expeditis plenius contine-
tur: Cum autem sicut eadem petitio subiungebat nonnulli,
patrochialium Ecclesiarum Rectores, qui in Curis sibi com-
missis divino, & humano iure residere tenentur aliàs quali-
ficati, & graduati absque eo, quod sua beneficia resignave-
rint, ad dignitates, ac canonicatus, & præbendas, portiones-
que huiusmodi aspirantes; ne pro eo quod in dicta Vniversi-
tate statuto tempore non resederint, eorum spè priventur,
suas patrochiales Ecclesias deserentes ad eam se conferunt,
ibiquè per maiorem anni partem, imò quandoquè per plures
annos expectantes Canonicatum, & præbendarum, ac dig-
nitatum huiusmodi vacantias moram habentes resident non
sine gravi Curæ animarum detrimento, ac manifesto alio-
rum damno, qui aliàs qualificati, & graduati in præfata Vni-
versitate literarum studijs incumbentes huiusmodi vacantia-
rum occasionem cum maxima suæ rei familiaris iactura præf-
tolantur. Ideoque vt præmissis in convenientibus oportu-
ne obvietur, pro parte Rectoris, & Vniversitatis huiusmodi
nobis fuit humiliter supplicatum quatenus in præmissis,
oportune, vt infra providere de benignitate Apostolica dig-
naremur: nos igitur Rectorem, & singulares personas Vni-
versitatis huiusmodi à quibusvis excommunicationis suspen-
sionis, & interdicti, alijsquè Ecclesiasticis sententijs cœsuris,
& pœnis à iure, vel ab homine quavis occasione, vel causa
latis, si quibus quomodolibet innodati existunt; ad effectum
præ-

præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos, forecensentes huiusmodi supplicationibus inclinati ex voto congregationis venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium decretorum Concili Tridentini interpretum Apostolica authoritate tenore præsentium declaramus, quòd ad hoc vt parochialium Ecclesiarum Rectores, seu quicumque alij beneficia personalem residentiam de iure, vel consuetudine requirentia possidentes, & si aliàs qualificati, & graduati iuxta Præfatæ Vniversitatis statuta existant, dignitates, ac canonicatus, & præbendas, portionesque huiusmodi assequi possint, residentiam per sex menses exindulto Apostolico huiusmodi requisitam ante vacationem cuiuslibet dignitatis, ac Canonicatus, & præbendæ, necnon portionis huiusmodi ad effectum, vt ad eos se opponere, & de illis provideri possint fecisse debeant, & teneantur prius sua beneficia simpliciter, aut cum pensione resignasse, & à tempore resignationis, & non antea debeant incipere residentiam in dicta Vniversitate cuius ad dignitates, ac canonicatus, & præbendas, necnon portiones pro tempore vacantes se opponere, & illas obtinere possint; nec aliàs, aut alio modo eistalis residentia suffragari nec huiusmodi Canonicatus, præbendæ, ceteræque dignitates, aut beneficia in dictis literis contenta conferri possint, nisi his qui parroquiales Ecclesias, aut quævis alia beneficia Curam animarum habentia possidentes per sex menses ante diem vacationis huiusmodi resignaverint, & vigore dictarum resignationum Resignatarij possessionem adepti sint, quòd constat testimonio fide digno, & per sex menses à die qua parroquiales Ecclesias, aut beneficia cum residentia huiusmodi habere desierint computandos in dicta Vniversitate personalem residentiam fecerint, & in reliquis iuxta prædicta statuta qualificati existant, ac Rectori, & Vniversitati huiusmodi, quòd lites, & controversiæ huiusmodi coram alio quam Rectore pro tempore existente dictæ Vniversitatis, & in dicta Curia agitari, & discuti non possint, authoritate, & tenore prædictis concedimus, & indulgemus, sicque ab omnibus, quorum in ter est, observari, ac per quoscumque Iudices ordi-

dinarios, & delegatos iudicari, & diffiniri debere, ac quid-
quid secus super his à quo quàm quavis authoritate, scien-
tèr, vel ignorantèr contingerit attentari, irritum, & innane
decernimus, non obstantibus constitutionibus, & ordinatio-
nibus Apostolicis, ac dictæ Ecclesiæ iuramento confirmatio-
ne Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis,
& consuetudinibus, cæterisque contrarijs quibuscumque.
Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ
absolutionis, declarationis, concessionis indulti, & decre-
ti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis au-
tem hoc attentari præsumpserit indignationem Omnipoten-
tis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se no-
verit incursum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Ma-
iorem anno Incarnationis Dominicæ, millesimo sexcentesimo
trigesimo quinto nono Kalendas Augusti Pontificatus nostri
anno decimo secundo. Cæterùm vt earundem literarum te-
nor prædictus sic insertus omnimodam rei, seu facti certitu-
dinem faciat Apostolica authoritate, decernimus, vt illud
idem robur, eandemque vim, eundemque vigorem dictus te-
nor perinde habeat, quæ haberent originales literæ; ac eadem
prorsus eidem tenori fides adhibeatur quandocumque, & vbi-
cumque, sive in iudicio, sive alibi, vbi fuerit exhibitus, vel
ostensus in omnibus, quæ adhiberetur eisdem originalibus li-
teris, si forent exhibitæ, vel ostensæ; per hoc autem nullum
cuique ius de novo acquisitum volumus; sed antiquum tam-
tummodo conservari. Nulli ergo omnino hominum liceat
hanc paginam nostri decreti, & voluntatis infringere, vel ei
ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præ-
sumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum
Apostolorum Petri, & Pauli se noverit incursum. Datum
Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Domini-
cæ millesimo sexcentesimo quadragesimo quinto, quinto
Kalendas Aprilis Pontificatus nostri anno primo C. Bannuc-
cius.